ris: modo ne intermittas mihi tam desideratas mittere.
Adversariis quos video Apologiæ tuæ respondisse, quæso
ne ultimas partes dicendi adscribas; Nostri Cellii obitum
ex animo doleo: magnum n. fuit ingenium, et valebat scri-
bendi magnâ dexteritate, quâ multis potuisset prodesse
belgicæ Ecclesiæ, quæ turbantur libro in Anglia contra Pres-
byterion edito. Utinam D. Tossanus, et cæteri qui ad D. Bezam
scribunt, ab eo impetrare studerent, ut ante obitum re-
felleret scriptorem istum: sic enim præclarè admodum de
his Ecclesiis mereretur. Benè vale mi Paree. Salutabis
ex me amanter Doct. Kimedone. Herman. Witekindum et cum
Pithop. nostro Melisso. Franekeræ 3. August. 1591.

Martin. Lydius.

Salutem in Christo.

208) Suavisse D. Paree, præterquam quod jucundissimum sit
bonis mentibus veteres amicitias renovare, præbuit
mihi occasionem hoc epistolium ad te mittendi industria
illa tua ac diligentia in defendenda sana doctrina, quam à
præceptoribus tuis in juventute, bonis discipulis imbibisti.
Vidi enim scripta aliquot tua, in quibus maximè mihi
placuit Apologia pro editione bibliorum, quam vidi Ro-
stochii apud Nathanem Chytræum, cum in patriâ profectus
illum invisissem. Hactenus nunquam potui exemplar obtinere,
etsi aliquoties Francofordiæ emi jusserim. Gratificabe-
ris mihi si bibliopolæ Leydensi aut Raphelengio per
vestrum cures exemplar tradi. Quod numeraverit
tibi bibliopola noster, id ego hic illi restituam. Moneo
autem, cum ex catalogo nundinarum intelligam respon-
disse Tubingenses, ut cavillationes illorum refellere ne-
quaquam ratione intermittas, ne apud imperitos se superio-
res esse glorientur. Non hoc ego vel ambitiosæ concer-
tationis, vel inani gloriolæ tibi sim auctor, sed ne causa
bona prodatur, aut veritati tenebræ offundantur. Ve-
lim etiam te mihi gratificari de charta illa, quâ contra
Tubingenses probastis, doctrinam nostram de prædestin.
non præberi occasionem desperationis auditoribus, ipsi per
convicium credo, Bettlandt appellarunt. Rogo cura tibi
sit ut exemplar habeam: et cum huic quoque responderint
velim sophismata eorum refelli. Sim ibi videbis un

apta populari captui respectu vestra, ex abo belgico sermone hic eam reddi. Passim n. nunc invalescit hec disputatio, ex qua videns magnam se nobis [illegible] posse conflare. In Apol. tua pro bibliis de praedest. aliquid etiam tractari observavi. Doleo de morte et D. Jungr. & Fortunati: magis vero quod mi F. audio non fuisse illam morum & vitae integritate, quae decebat. Deploro tamen obitum ejus propter peculiare donum ipso tanum tam perspicue scribendo illustrandi Philosophiae partes quasdam satis obscuras. Deus tibi mi Dav. dona sua cumulet, et vitam ad defensionem veritatis diu proroget. Vale. Salutare quaeso ex me rongravi eris D. Pithop. Witte And. ac Sijmed. Francofurti 22. Febr. 1591.

Scribe mihi quaeso historiam mortis F. Cellii quo die mense morbi genere sit extinctus. Cum D. Bezae responso contra theses Erasti edita vellem resp. etiam D. Ursini evulgari.

Martin. Lydius.

Praemissis officiis ac obsequiis paratissimis ac promptissimis.

S. P. D.

207

Nulla quidem, R. Doctissime atque clarissime vir, Amice, frater in Christo, ac patrone dignissime, mihi tecum facteny, nisi solius nominis ac eruditionis intercessit familiaritas; saepissime enim tecum et cum Doto D. Zacharia Ursino, praeceptore tuo sanctae recordationis, in meo Musaeo colloquor. Tamen cum habeam, cui tanto dem Nobilissimum nimirum, clarissimum, doctissimum ac prudentissimum virum D. Albertum Kindleram à [illegible], Caesareae Majestatis consiliarium ac Lusatiae nostrae capitaneum provincialem, Amicum, patronumque comparem carissimum ac dignissimum, qui monuit, ut scriberem, se curaturum promisit, ut ad tuas perveniret, quamquam etiam te Heidelbergam ex Silesia, vicinia nostra carissima, singulari Dei consilio et providentia ad promovendam et defendendam doctrinae coelestis veritatem vocatum, causam habeo gra-